



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

107. Regiones: India: Ex Q. Curtio, stylo historico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

R E G I O N E S.

I N D I A.

Ex Q. Curt. stylo historico.

Descriptio CVII.

*Vide Sicilia
descript. a-
pad Iustinū.
in initio lib. 4.
ubi de mari,
Scylla, Cha-
rybdi, Circa-
teris
portentis.*

India tota ferè spectat orientem, minus in latitudinem, quam in recta regione spatiosa. Quæ austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt, plana sunt cætera. Multis, & inlytis amnibus. Caucaſo monte ortis, placidum per campos iter præbent. Indus gelidior est, quam cæteri: aquas vehit à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu fluius eximius, à meridiana regione decurrit, & magnorum montium iuga recto alueo stringit: in eum obiectæ rupes inclinant in orientem, utque rubro mari accipitur, & findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exorbet: saxis quoque impeditur, quibus crebrò reuerberatur. Vbi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines eum auget: Ganges in mare decursurum intercipit, magnoque motu uterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti obijcit, nec repercussa aquæ cedunt. Dyardenes minus celebris auditu est, quia per vltima India currit. Cæterum, non Crocodilos modò, ut Nilus, sed etiam Delphines, ignotasque alijs gentibus belluas alit. Erimanthus crebris flexibus subinde curuatus, ab accolis rigantibus carpitur. Ea causa est, cur tenues reliquias, iam sine nomine in mare emittat; multis præter hos amnibus tota regio diuiditur: sed ignobilibus, quia non adèd interfluunt. Cæterum, quæ propria sunt mari, austri maxime decurrunt; ij cohibiti montium iugis, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mites: sed adèd in illa plaga mundus status temporum vices mutat, ut cum alia feruore solis exæstuent, Indiam niues obruant: rurſusque vbi cætera rigent, illic intolerandus æstus existat. Mare certè, quo alluitur, ne colore quidem à cæteris abhorret; ab Eri-threo rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere mare existimant. Terra lini terax, inde plerisque sunt vestes, libri arbo-

rum teneri, haud secus quam ceræ, literarum notas capiunt. Aues ad imitandum humanæ vocis sonum dociles sunt. Animalia inuisitata cæteris gentibus, huic inuecta. Eadem terra, & Rhinoceros alit, non generat. Elephatorum maior est vis, quam quos in Africa domitant, & viribus magnitudo responderet. Aurum flumina vehunt, quæ leni, modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas, margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis maior opulentia causa est, utique posteaquam vitiorum commercium vulgauerit in exteras gentes. Quippe æstimantur purgamenta æstuantis freti pretio, quod libide constituit: ingenia hominum, sicut vbi que apud illos quoque locorum situs format.

B R A S I L I A.

Maffæus, in Indica historia.

Descriptio CVIII.

EST autem Brasilia noui orbis pars, quam paulò post Capralis accessum, Americus Vesputius Florentinus, eiusdem Emmanuelis auspicijs, accuratius explorauit, atque à duobus ab Equatore gradibus, partibusve, ad gradus quinque & quadraginta in austrum excurrens, trigoni oblongi speciem refert: cuius basis in Equatorem, ac Septentrionem obuersa, ab oriente in occidentem recta protenditur. Angulus extremus ignotas ad meridiem regionem attingit: latus in orientem spectans, interposito mari hesperijs Aethiopijs adiacet; alterum latus à Prouincia Peruana determinant iuga montium adèd celsa, ut ipsos auium volatus fatigare dicantur, vno dumtaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu, regio ferè tota in primis amœna est: Cælli admodum iucunda, salubrisque temperies: lenium quippe à mari ventorum commodissimi status matutinos vapores, ac nebulas tempestiue disciunt, solesque purissimos, ac nitidissimos reddunt. Scæter ea tota plaga fontibus, ac syluis, ac amnibus inlytis; è quibus (ut reliquos taceamus) quem argentum vocant, Teucarum quadraginta octo, in mare fertur, adèd violentus, ut inde nauæ dulces.